

haberet aliquanto firmiores: præsertim cum Edicto Nannetensi concessa securitas odiorum & timorum causam videretur sustulisse. Sardinia mihi est Belgium, quod occupatum ab hominibus Archombroti Religionem profitentibus, & id quidem auxiliis ab Hianisbe ductis: Etsi Radiobanem ipsum h. e. spem Hispanicam fregerat ipse Poliarchus h. e. crescens sub Borboniis potentia.

XXXIV. At cur crucem nobis figimus in eruendo ænigmatum mysterio? siquidem ipse Barclajus sub Nicopompi persona *Lib. 2. C. 9.* his verbis nimiam divinandi curiositatem refrenare est conatus: *Imaginaria passim nomina excitabo, tantum ad sustinendas vitiorum Virtutumq; personas; ut tantum erret, qui omnia, quam qui nihil in illa scriptione exiget ad rerum gestarum veritatem.*

XXXV. Festinandum est ad potiora, quorum gratia calamum arripuit Barclajus. Nam scripturus erat doctrinam Politicam nova methodo commendabilem. Videbat, quid olim tentassent Ægyptii, quorum sapientia hieroglyphicis notis abscondita neminem habebat admiratorem, nisi qui sub ejusmodi Magistris profecisset. Videbat ex adverso Peripateticorum industriam, qui perspicuitatem disciplinis introducere nitebantur, allectis in auxilium definitionibus, divisionibus & quicquid speciatim doctrina Topica, generatim Logica subministrat. Quæ tamen via, quod redoleret Scholam, non poterat non fordere personis publica jam luce coruscantibus.

XXXVI. Quamobrem remoturus obstacula utrinq; odiosa, ex Ægyptiorum Philosophia jucunditatem retinuit, obscuritatem removit; vicissim ex Aristotele, vel quicumq; propius ad doctrinam Statisticam accessit, perspicuitatem servavit, molestiam & speculationem correxit.

XXXVII. Equidem qui ad Studia Politica manuducuntur, primum occupari solent in evolvendis Terminis, ut libelli quos habemus, Systematici ultra Lexicon pauca promittant. Nimirum quid judicabit aut respondebit de bello, de Pace, de Fœderibus, qui ne nomina vel Subjuncta cognovit, quibus tribuenda sunt Prædicata? At, qui succre vit inter Aulicos, qui Principem habet Parentem aut amicum, quicq; inter quotidianos Procerum Sermones singula jam intelligere discit: (nam ejusmodi Personis Argentem destinari fatetur ipse Nicopompus) rem maxime cognitam tractari putat, si quis è profundiore Statistica differere constituat.